

De egregio facto duorum iuvenum Carthaginiensium

Cum inter Carthaginem et Cyrenas de modo agri pertinacissima¹ contentio esset, ad ultimum placuit utrimque² eodem tempore iuvenes mitti et locum, in quem hi convenissent, fines utroque populis haberi. At hoc pactum duo fratres Carthaginienses, nomine Philaeni, violaverunt: citra constitutam horam praecurrerunt et in longius limina promoverunt³. Quod cum intellexissent Cyrenensium iuvenes, diu de fallacia⁴ eorum questi sunt. Postremo iniuriam discutere⁵ conati sunt⁶, saevam conditionem ponentes: dixerunt se illum finem accepturos esse, si Philaeni passi essent se ibi vivos obrui⁷. Tum illi, nulla interposita mora, corpora sua tradiderunt, ut terra operirentur. Qui, quoniam patriae quam vitae suae terminos⁸ longiores esse maluerunt, magna cum laude iacent, manibus et ossibus suis dilatato Punico imperio. Ne interitus⁹ quidem Carthaginis (quae multos annos post a Scipione victa est) Philaenorum egregii facti memoriam exstinxit.

da Valerio Massimo

(Anna Bongiorno)

¹ Pertinax, acis = "ostinato, resistente"

² Utrimque = ab utraque parte

³ Promovere ☐ rimuovere

⁴ Fallacia, ae = cfr. fallax, acis; fallo, is, fefelli, falsum, ere

⁵ Iniuriam discutere = "annullare il torto"

⁶ Conor, aris, atus sum, ari = temptare

⁷ Obruo, i sui, utum, ere = operire re supra iniecta

⁸ Terminus, i = lapis quo finis designatur, "limite, confine"

⁹ Interitus, us = "rovina, distruzione"